

Peter of Trabibus, Commentary on the Sentences (Florence, Bibl. Naz. D. 6. 359)

Transcribed by Tuomas Vaura¹

Abbreviations

add.	addidit
del.	delevit
fol.	folium
marg.	marginē
om.	omittit
[...]	additio
<...>	additio editoris
(?)	lectura incerta

Liber 2, distinctio 24, circa 3, quaestio 1. (fol. 30ra)

Utrum ratio superior differat ab inferiori?

Primo quaeritur, utrum ratio superior differat ab inferiori? Et videtur quod sic, quia potentia, in qua est imago Dei, non est eadem cum illa in qua non est imago.
Sed in ratione superiori est imago, et non in inferiori, ergo non est eadem.

Contra, voluntas habet similes actus rationi. Sed ipsa non dicitur alia et alia quamvis velit inferiora et superiora, ergo non differt.

Respondeo, dicendum, quod quidam dicunt, quod ratio superior dicitur in quantum communicat cum angelis, inferior in quantum coniungitur corpori. Sed istud est, sicut dixi superius, falsum et contra Augustinus *XII De trinitate VII capitulum*,² ubi dicit, quod superior cohibet inferiorem et illa obtemperat (sic). Sed constat quod illa, quae corpori administrat, non obtemperat nec obtemperare potest, quia pure naturaliter agit. Unde iam esset in potestate nostra disgerere (sic) et huius, quod falsum est. Unde³ ipse Augustinus, *Contra epistolam fundamenti*, distinguit partem animae quae habet intelligere veritatem ab ea quae corpori continet et regit.

Et ideo dicendum variis modis obmissis,
quod superior et inferior ratio est una potentia differens penes officia,

¹ The transcriber would like to acknowledge the funding from the European Research Council for the research project *Rationality in Perception: Transformations of Mind and Cognition 1250-1550* under the grant agreement n. 637747. I would like to thank Annemieke Verboon, who has helped me to improve the transcription. The line division of the transcription follows the line division of the manuscript.

The transcription may be cited as follows:

Peter of Trabibus, *Lectura* lib. 2, d. 24, c. 3, q. 1, Tuomas Vaura (ed.), *Rationality in Perception: Transformations of Mind and Cognition 1250-1550* -project. URL = <<https://blogs.helsinki.fi/rationality-in-perception/texts/>>. 2019.

² Augustinus, *De trinitate* lib. 12, cap. 7.(?)

³ Scripsit sed del. a

sicut dicit Augustinus, *XII De trinitate capitulum III*,⁴ haec, inquit, duo quae commemoravi non nisi per officia geminamus. Ad eandem enim rationem obiectionem et formalem ordinantur, quia tam temporalia quam aeterna intelligit sub eadem ratione formali, quae quidem ratio formalis habet notificare differentiam potentiarum, quae hic nulla est. Sed dicitur superior quando de superioribus cogitat, ubi dirigitur ad regenda inferiora.

Ad argumentum, dicendum, quod imago Dei est in tota anima naturaliter, sed voluntarie dicitur esse quando ad ipsum cogitando et amando per conformitatem convertitur. Et tunc sine dubio magis est imago Dei quanto magis pure ad ipsum convertitur, quod est quando superiora contemplatur.

⁴ Augustinus, *De trinitate* lib. 12, cap. 4.